Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 529
Quelle:
Copyright:

non rara eſt, in *Notis* ſuis adtuliſſent. Ita mox in Prologo Noſter habet: *elucent atque eminent* pro *lucent atque emicant*. Item *medio fervente calore* pro *meridiano ferventem calore*, *in provecta* pro *in proceſſa*, *caſtitatis et ſimplicitatis ſpiritale ſacrificium* omiſſo, quod Edita interſerunt, *τῳ animantia*, demum *rationis capax hoſtia*, quod ultimum verbum in Editis non legitur. Sic et per decurſum Sermonum, ut exempli cauſſa Serm. XXII. et ult. *Hic eſt ergo profectus finis*, *culpe ſitus* pro *ut etiam culpae ſit; Qui jam errare neſcit* pro *qui in errore jam non ſit*, &c.

CCXCII.

U. 179 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 331. f. bene perſcriptus, rubricis enotatus, et, ut *fol.* praevio, cui etiam Theologica quaedam *de Malo et Peccato* adſcripta ſunt, dicitur, a celebri *Thoma Haſelbachio* legatus cum tot aliis *Collegio ducali Vien.* complectitur ſequentia: I. *Incipit tractatus beati Ambroſij Epiſcopi in Epiſtolam beati pauli ad Romanos*. Et ſic in reliquas XIII. Apoſtoli *Epiſtolas*. Verum hi Tractatus *Ambroſium* ſolum modo mentiuntur, ut egregie diſcuſſere *Mauriani* edit. *Opp. Pariſ.* 1690. in *Append.* T. II. *col.* 21. f. qui Tractatum ultimum in *Epiſt. ad Hebraeos* penitus omiſere, utpote ne quidem ad hunc *Ambroſiaſtrum* pertinentem. Extat tamen in *Cod.* noſtro *fol.* 213. p. 2. hoc rubro: *Incipit commentum Beati Ambroſij ſuper epiſtola ad Hebreos*. Initium Prologi Tract. I. eſt: *Principia rerum requirenda ut noticia earum poſſit haberi* &c. Quae paullo aliter ſe habent in Editis.

II. *fol.* 243. *Incipit de virginibus liber primus Beati Ambroſij ad ſororem ſuam Marcellinam*. Ita: *Si iuxta celeſtis ſententiam veritatis* &c. Sequitur *Liber* II. et III. ut in edit. *ſuprac.* T. II. *col.* 145. Verum adtextus eſt etiam IV. qui huc non pertinet, et ſeparatum conſtituit Tractatum, qui in edit. T. *eod. col.* 213. titulo *De Virginitate Liber unus* legitur hoc initio: *Nobile apud veteres Salomonis* &c. Et merito quidem, ſi initium Tractatus adtendas, quem nunc indico.

III. *fol.* 270. *Incipit liber de viduis beati Ambroſij Epiſcopi*. Nempe ſic: *Bene accidit fratres ut quoniam tribus libris ſuperioribus de virginum laudibus diſſeruimus* &c. Vides *Ambroſium* ipſum non niſi *tres* Libros memorare. Igitur *Liber* ille IV. ſeorſim et ſerius ſcriptus eſt, et in edit. *cit.* poſt *Librum de Viduis* T. II. *col.* 213. rite comparet.

IV. *fol.* 281. p. 2. *Secundus liber de* (*Officijs* ſcriptum erat, ſed eo jugulato ſuperimpoſitum) *viduis beati Ambroſij Epiſcopi*. Nihilo ſanius Librarius. Scribendum erat: *Exhortatio Virginitatis*, vel *ad Virgines*, ſed illuſit ei *Juliana* pia *Vidua*, quam S. Doctor tres Filias ad ſervandam virginitatem exhortantem inducit. Itaque Sermo hic peculiare conſtituit Opuſculum, et ut tale proſtat edit. *cit.* T. II.